



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio I. De lege in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

TRACTATUS OCTAVUS. DE LEGIBUS.

DISPUTATIO PRIMA.

De Lege in communi.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Lex.

RESPONSIO.



EX propriè dicta benè describitur, rationis ordinatio communis obligativa, ad bonum commune, ab eo qui curam habet communis, promulgata, qua scilicet permanenter sancitur aliquid, vel præcipiendo, vel prohibendo, vel permittendo, vel denique statuendo ut aliquæ res, aut personæ tali vel tali modo se habeant in ordine ad aliquos effectus morales.

Dicitur 1. *rationis ordinatio*, hoc est, actus mentis, seu locutio interna practica, per verba imperativi modi exprimi solita, qua legislator ad subditos dirigit voluntatem, quam habet illos obligandi ad aliquid. Pro quo

Nota. In legislatore, quâ tali, varii sunt actus, nempe actus, quo iudicat expedire bono communi, ut subditi ad hoc vel illud obligentur; actus, quo vult illos obligare; actus imperii, seu locutio interna practica, qua voluntatem obligandi, quam habet, dirigit ad subditos modo imperativo; actus denique externus, seu signum externum & sensibile, quo imperium internum, seu locutio interna exterius & sensibilibiter exprimitur modo practico & imperativo.

Primus actus solum requiritur ad hoc ut lex prudenter feratur, & sine illo validè ferri potest: unde ad intrinsicam legis rationem non pertinet. Sine reliquis verò actibus ratio legis esse non potest, quia neque actus imperii sine voluntate obligandi, neque voluntas obligandi sine actu imperii, exterius expresso per signum aliquod practicum, lex esse potest: nam sine voluntate obligandi in legislatore, non potest esse obligatio in subditis; & sine actu imperii, exterius expresso per signum practicum, quo legislator præscribit aliquid, præcipiendo, vel prohibendo, vel permittendo, vel statuendo de esse morali rerum aut personarum, non est regula. Lex autem, ut ait S. Thomas hic quæst. 90. art. 1. in O. est regula quædam & mensura actuum humanorum, proximè subditos obligans ad agendum, vel omittendum aliquid.

Hinc intrinseca legis ratio, adæquatè sumpta, rectè dici potest, formaliter & in recto complecti tres actus legislatoris, videlicet voluntatem obligandi; actum imperii, seu locutionem internam practicam, qua voluntas obligandi ad subditos imperativè dirigitur; & actum seu signum externum practicum, quo locutio interna practica exterius exprimitur, subditis intimatur, & completur in ratione locutionis practica & mandati. Hinc rectè Scriptura Sacra legem divinam vocat, modò Lumen, ut Plal. 4. ubi dicit Plaltes regius, loquens de lege divina: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Modò voluntatem divinam, ut Plalm. 39. ubi David in persona Christi ait: *In capite libri scriptum est, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Item rectè Augusti-

nus lib. 22. contra Faustum cap. 27. legem æternam rationis vel voluntatis nomine indifferenter vocitari posse docet: *Lex*, inquit, *ætterna est ratio vel voluntas divina.* Item leges humanæ ab authoribus, modò gubernandi rationes, bonæ opiniones, prudentium virorum consulta, sermones ab aliqua mente profecti, qui vim habent cogentem; modò principum placita seu voluntates rectè nominantur. Denique ad Cap. *In istis dist. 4.* rectè dicuntur *leges institui, cum promulgantur.*

Conciliantur ergo omnia, si dicatur lex qualibet ex tribus legislatoris actibus intrinsecè constitui, nempe, ut jam dictum est, ex actu voluntatis, quo vult subditos ad aliquid obligare; actu mentis, quo voluntatem illam per modum imperii dirigit ad subditos, & actu externo, quo subditis actum illum internum practicè & imperativè intimat, sine qua intimatione actus ille internum nec esset regula actuum humanorum, nec subditos obligaret, aut etiam obligare posset. Sic tamen ratio legis bene constituitur ex parte in actu voluntatis, quo legislator vult obligare subditos, ut principaliter constitui debeat in actu mentis, quo voluntatem suam obligandi per modum imperii ad subditos dirigit, non quidem ut purè interno, sed ut exterius expresso per signum aliquod, quo legislator subditis practicè & imperativè significat, quid statuat, vel velit fieri aut non fieri.

Ratio est, quia dirigere per modum regulæ, sicut & ordinare, pertinet ad rationem, ut dicit S. Thomas hic quæst. 90. art. 1. in O. Unde lex, non ab actu voluntatis, quem includit, sed ab actu mentis, quem illi superaddit, habet, quod in ea præcipuum est, nempe quòd sit regula actuum humanorum, eorumque ordinatio in finem à legislatore intentum, quod est bonum commune.

Dicitur 2. *Communitatis*; quia lex fertur tantum communitati perfectæ. Ut enim dicunt Jurisconsulti, *iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Præterea, lex est instrumentum policitæ gubernationis. Ergo cum sola perfectæ communitatis capax sit gubernationis policitæ, sola subjectum est, cui lex potest imponi. In hoc jam lex differt à purò præcepto, quod non solum perfectæ communitati, sed etiam imperfectæ, imò & privæ alicui personæ imponi potest à superiore.

Dixi, quòd lex feratur tantum communitati perfectæ. Pro quo *nota.* Duplex distinguenda est communitas, una perfectæ, & altera imperfectæ. Communitas perfectæ est ea, quæ ex natura sua perpetua, ac policitæ gubernationis capax est, & in qua reperitur potestas jus dicendi, & in perpetuum obligandi, ut ecclesiæ, regnum, civitas, &c. Imperfecta verò communitas est ea, quæ non est perpetua ex natura sua, nec capax gubernationis policitæ: unde nec in ea reperitur potestas juris dicendi, & obligandi in perpetuum. Talis est domus privata, seu familia. Hinc familia non est subjectum aptum, cui terantur leges, quippe quæ ex natura sua perpetuæ sunt, ut dicitur, & feruntur autoritate publica à superiore habente jurisdictionem & potestatem obligandi in perpetuum.

Hinc paterfamilias domui suæ præest æconomice tantum, non verò policitè, & cum jurisdictione atque publica autoritate. Potest quidem iure paterno toti familiæ ad longum aliquod tempus mandata imponere, at non potest in perpetuum, seu non potest mandata imponere, quæ posteros obligent, nisi prius familia illa in communitatem perfectam mutetur, & ipse fiat illius princeps & superior cum jurisdictione & potestate publica; fiat, inquam, illius princeps vel

vel autoritate divina, vel consensu communis. Unde extra hunc casum paterfamilias non potest ferre leges.

Dicitur 3. *Obligativa*. Nam effectus proprius legis est moralis obligatio. In quo lex differt à puro consilio, quod, quia tale, nec obligat, nec obligare potest. Unde illud S. Hieronymi lib. 2. cont. Iovin. *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas servituti*. Lex autem vim habet obligandi, quia legislator obligandi potestatem habet, & ferendo legem, efficaciter vult obligare, atque hanc efficacem obligandi voluntatem per locutionem practicam & imperativam subditis intimat; qua intimatione facta, non potest efficax voluntas obligandi non sortiri effectum suum, supposita obligandi potestate in legislatore. Sed

Nota. Vis obligandi, quam lex habet, inchoatur per voluntatem efficacem obligandi subditos ad aliquid; completur verò & perficitur per actum imperii, seu locutionem internam practicam exterius expressam per signum practicum. Vis itaque completa & integra, quam lex habet obligandi subditos, & quæ, quantum ad conceptum, est vis completa & integra inducendi vinculum morale, quo morali quadam necessitate subditi ad aliquid faciendum vel omittendum adstringuntur, realiter & quoad entitatem non est aliud, quam complexum ex actibus legislatoris, ex quibus intrinsecè lex constituitur, non physicè quidem, sed moraliter seu æquivalenter in affirmatione prudenti permanentibus in ordine ad causandum in subditis hunc effectum moralem per denominationem realem extrinsecam: non enim aliter causari potest. Unde ulterius obligatio moralis, quæ quantum ad conceptum est vinculum morale, seu moralis quadam necessitas ad aliquid faciendum vel omittendum adstringens, quoad rem non est aliud, quam ipsimet actus legislatoris, ex quibus intrinsecè constituitur lex: omnis enim denominatio realis, sive intrinseca sive extrinseca, quoad rem nihil aliud est, quam forma, cuius est denominatio.

Dicitur 4. *Ad bonum commune*: quia lex omnis ferri debet propter bonum commune: lex enim ex intrinseca & essentiali sua ratione est instrumentum publicæ potestatis ad procurandum eum finem, propter quem potestas publica instituta est sive à Deo, sive ab hominibus. Atqui publica potestas tantum instituta est sive à Deo, sive ab hominibus, ad procurandam felicitatem publicam. Ergo lex ex intrinseca & essentiali sua ratione est instrumentum publicæ potestatis ad procurandam felicitatem publicam; & consequenter felicitas publica ut procuranda, est finis intrinsecus & essentialis legi: ita ut lex communitati lata, sive toti communitati lata sit, sive tantum alicui ejus parti, tanquam ejus membro, invalida sit, & solum nominatenus lex, nisi ad procurandam felicitatem publicam valeat, vel immediatè, si toti communitati lata est, vel saltem mediatè & ultimatè, si tantum lata est alicui communitatis parti, tanquam ejus membro, cuius proinde bonum redundare debet in bonum totius communitatis.

Hinc legislator, si ferendo legem, proprium, aut aliquorum privatorum, non publicum bonum intendat, graviter peccat: nihilominus tamen lex validè ab eo fertur, & subditos obligat, si præter aut contra intentionem ejus, ad publicam utilitatem conducere potest. Hinc etiam lex, quæ validè lata est, quia, cum lata est, ad bonum publicum valebat, definit esse valida, & subditos obligare, ubi primum definit ad bonum publicum utilis esse, & à fortiori ubi primum incipit esse nociva, & bono publico contraria.

Dicitur 5. *Ab eo qui curam habet communitatis*: quia, ut jam dictum est, finis intrinsecus & essentialis legi est bonum commune procurandum, & consequenter illius tantum est condere leges, cujus principaliter est procurare bonum commune. Procurare autem bonum commune, principaliter pertinet vel ad communitatem, vel ad eum qui communitatem

Simonet Theol. Tom. II.

ti præest, ejusque curam gerit ut princeps. Ita docet S. Thomas hic q. 90. art. 3. in O. *Lex*, inquit, *proprie primo & principaliter respicit ordinem ad bonum commune*. Ordinare autem aliquid in bonum commune, est vel totius multitudinis, vel alicujus gentis vicem totius multitudinis; & ideo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quæ totius multitudinis curam habet.

Dicitur 6. *Promulgata*, hoc est, actu seu signo aliquo externo practicè & per modum imperii subditis intimata. Hæc autem intimatio est intrinsecus & essentialis legis complementum, quo posito, existit regula actuum humanorum, completam & integram vim habens dirigendi & obligandi subditos, quo non posito, nec est, nec esse potest hæc regula, proindeque nec est, nec esse potest lex: quantumcumque enim supponatur esse in legislatore voluntas efficax obligandi subditos, & locutio interna practica voluntatem illam ad subditos practicè dirigens, nondum est actuum humanorum regula, aut vis completa & integra subditos obligandi; etiamsi legislator subditis suis exterius significet actus illos, sed sine practica intimatione: nondum enim ad quidquam tenentur subditi. At ubi primum ad actus internos legislatoris accedit exterior intimatio practica, & per modum imperii facta, ut subditi aliquid faciant vel omittant, hoc ipso subditi habent actuum suorum regulam, cui se conformare tenentur. Hinc ad cap. *In istis* dist. 4. dicitur: *Leges instituuntur, cum promulgantur*. Promulgatio igitur est essentialis legi, quam intrinsecè constituit cum internis actibus legislatoris.

Dicitur 7. *Qua permanentiter sancitur aliquid*: quia lex fertur in perpetuum, aut saltem nonnisi ad tempus valde longum, in quo lex, juxta communem Doctorum sententiam, differt à mero præcepto, quod per mortem præcipientis expirat: lex verò, mortuo aut amoto legislatore, adhuc durat, donec abrogetur, vel mutatis circumstantiis, incipiat esse nociva, aut saltem inutilis bono publico. Ratio perpetuitatis legis petitur ex eo, quod lex fertur soli communitati perfecte, quæ ex natura sua perpetua est, quatenus per successionem continuam perseverat eadem moraliter in posteris, nec utiliter administrari potest sine legum stabilitate & uniformitate. Leges igitur, ex modo & intentione qua feruntur, non solum in præsens, sed etiam in futurum prosapiunt; nec solum præsentibus, sed etiam quorumque in posterum erunt in communitate, pro suo tempore obligant: quorumque enim in posterum erunt in communitate, hoc ipso subiacent legibus, quod sicut partes communitatis.

ARTICULUS II.

Qualis debet esse Lex.

QUærantur hoc Articulo conditiones ad legem requisitæ. Has convenienter enumerat Isidorus verbis relatis dist. 4. cap. 2. ubi dicitur: *Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem, loco temporisque conveniens, necessaria, utilis, manifesta ... nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*.

1. Igitur debet esse honesta, ex parte objecti scilicet, non solum non præcipiendo aliquid quod sit turpe, sed etiam nihil præcipiendo, quod non sit honestum vel ex natura sua, & antecedenter ad omnem legem, vel saltem ratione finis ad quem ordinatur, quatenus ita de se indifferens est, ut possit conducere ad bonum finem, quem intendit lex. Sine hac conditione lex non esset verè lex: unde hæc conditio est essentialis legi.

Ratio est, quia 1. homines obligari ad turpia repugnat. 2. Finis intrinsecus & essentialis legi est bonum commune procurandum, & quod procurari non potest præcipiendo turpia. 3. Homines nihil possunt validè statuere, vel præcipere, nisi secundum potestatem

Q 2 tem

tem vel immediatè, vel saltem mediatè acceptam à Deo: nam, ut ait Apostolus Rom. cap. 13. *non est potestas, nisi à Deo*. Atqui, ut ait idem 2. Corinth. cap. 13. potestas condendi leges non est à Deo data hominibus ad destructionem, sed ad ædificationem; neque ad subditos malos, sed bonos efficiendos. Ergo, &c.

Dices. Aliquæ tamen leges humanæ permittunt aliquod malum. *Resp.* Leges humanas aliquod malum permittere, non statuendo, ut licitum sit quod turpe & inhonestum est, sed præcisè malum minus tolerando, & prohibendo ne puniatur, non ut delinquentibus procureretur impunitas, & liberiùs peccent, sed ut majus malum impediatur. Hæc autem mali alicujus minoris permissio, 1. non est ex se inhonestæ, 2. Imò positivè honesta est ratione boni communis ad quod ordinatur, & ad quod conducit impediendo majus malum. Præterea, recta ratio dicitur, minus malum permitti posse, & debere, ad majus malum vitandum, & procurandum majus bonum, atque ex duobus malis inevitabilibus majus vitandum esse, & ad hunc finem eligendum minus.

2. Lex debet esse justa, 1. ex parte finis, nihil statuendo contra bonum commune, quod est finis ejus. 2. Ex parte potestatis, ita ut legislator non plus statuat, quam potest statuere, & iis tantum statuat, quibus statuere potest. 3. Secundùm æqualitatem proportionalem: ita ut subditis in ordine ad bonum commune onera imponantur, habita ratione virium & facultatum. Hæc conditio est etiam essentialis legi: lex enim injusta, vera lex esse non potest.

3. Lex debet esse possibilis, seu de objecto possibilis; nemo enim obligari potest ad impossibile. Sed *nota.* Potest aliquid esse impossibile triplici modo: simpliciter, secundùm quid, & moraliter. Impossibile simpliciter est v. gr. illud omne, quod non possumus sine aliquo auxilio, quod nullo modo est in nostra potestate. Impossibile secundùm quid est illud omne v. gr. quod non possumus cum solis naturæ viribus, sed possumus cum auxilio gratiæ, quod vel habemus, vel in nostra potestate est ut illud habeamus. Impossibile moraliter est illud omne quod non possumus, nisi cum valde magna difficultate.

Potè nullus legislator, sive divinus sive humanus, præcipere potest impossibilia simpliciter, quia moralis obligatio ad impossibile simpliciter implicat contradictionem. Divinus, pro supremo suo jure, potest præcipere & præcipit aliqua impossibilia secundùm quid, sicut & aliqua moraliter impossibilia, in sensu scilicet explicato. Humanus verò non potest præcipere impossibilia moraliter, sine causa valde gravi & urgente; quia potestas legislatoris humani non est suprema, sed humanæ imbecillitati accommodata; unde non potest ad quilibet ex qualibet causa obligare. Adde quod potestatem condendi leges accepit, ad regendos homines, non ut servos, sed ut cives. Ex dictis autem apparet hanc possibilitatis conditionem esse quoque legi essentialem.

4. Lex debet esse secundùm naturam, idest, ut interpretatur Glossa, secundùm naturalem rationem: nulla enim lex rectæ rationi contraria, valida esse potest: nam lex contraria rectæ rationi, legi divinæ adversatur.

5. Lex debet esse secundùm patriæ consuetudinem: quia, ut ait Glossa, *si est contra consuetudinem inhabitantium, per contrariam consuetudinem abrogatur*.

6. Debet esse loco & tempori conveniens; alioquin ad bonum commune conducere non poterit, aut etiam ei adversabitur, atque ita subditos obligare non poterit.

7. Lex debet esse necessaria: quia, ut Glossa dicit, *non nisi instante necessitate jus statui debet*. Nam si leves ob causas leges ferantur, brevi legum multitudine obruentur subditi. Lex tamen sine instanti necessitate lata, obligat, si re ipsa valet ad bonum commune.

8. Lex debet esse utilis: quia, ut ait Glossa, *inutilis esset abjicienda*. Inutilis autem dicitur, quæ non

valet ad bonum commune procurandum; qui tamen finis intrinsecus & essentialis est omni legi. Unde legem ad bonum commune utilem non esse, & tamen esse validam repugnat. Quare hæc conditio est essentialis.

9. Lex debet esse manifesta; ne, ut dicitur in textu Capituli laudati, *aliquid per obscuritatem in captionem contineat*, hoc est, ut Glossa explicat, *ne aliquis captiosè possit eam interpretari, vel etiam ne alicui laqueus pareatur per eam*. Hæc autem conditio requiritur tantùm ad bene esse legis.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit Lex.

LEX 1. dividitur in æternam, & temporalem. Lex æterna, juxta D. Thomam hic qu. 93. art. 1. in Q. est *ratio divinæ sapientiæ, moventis omnia ad debitum finem*, seu ratio divinæ sapientiæ, secundùm quod est *directiva omnium actuum & motionum*. Unde, juxta D. Thomam, lex æterna extenditur non solum ad creaturas rationales, sed etiam ad irracionales; nec solum est regula actionum liberarum, sed etiam quarumlibet aliarum. Lex autem æterna, sumpta in tam ampla significatione, non nisi improprie dicitur dici potest. Irrationales enim creaturæ legis propriè dictæ incapaces sunt, nec lex propriè dicta potest esse regula & mensura, nisi actuum liberorum.

Itaque ut lex æterna magis accedat ad rationem legis propriè dictæ, sumenda est strictius, scilicet pro actu divinæ voluntatis, quo Deus, ut author naturæ, ex hypothesi creaturarum rationalium producendarum, necessariò voluit ab æterno obligare creaturas rationales ad aliqua, cum actu imperii, seu locutione interna practica intellectus divini, voluntatem illam ab æterno dirigente ad creaturas illas. Complexum enim ex his duobus actibus potest utrumque obtinere nomen legis propriè dictæ, quatenus actus liberorum creaturæ rationalis, in tempore exituræ, ab æterno ordinavit ad finem debitum, nempe ad bonum commune rationalis naturæ, & utrumque regula & mensura est actuum liberorum, quos rationalis quælibet creatura exercet in tempore.

Dixi, utrumque: nam complexum illud ex actibus divinis, nempe ex efficaci voluntate obligandi ad aliqua creaturam rationalem, aliquando exituram, & locutione interna practica hanc voluntatem dirigente ad creaturam rationalem, non potest esse lex propriè dicta, nisi inchoatè & incompletè, quia non potest esse, nisi inchoatè & incompletè, regula & mensura actuum creaturæ rationalis, creaturam rationalem ad aliqua proximè obligans. Talis enim regulæ complementum intrinsecum & essentialis, est promulgatio, seu aliquis actus externus practicè & per modum imperii subditis intimans actum internum voluntatis, quo legislator vult illos ad aliquid obligare, & exterius exprimens locutionem internam, qua legislatoris intellectus practicè & per modum imperii dicitur aliquid à subditis esse faciendum, vel omittendum, ut patet ex dictis Art. I.

Cum igitur actuum divinatorum, quibus constituitur lex æterna strictius sumpta, nulla fuerit aut potuerit esse promulgatio ab æterno, quia nulla fuit aut potuit esse ab æterno creatura rationalis; lex æterna, etiam strictius sumpta, non est nisi inchoatè lex propriè dicta, nec nisi inchoatam vim habet obligandi creaturam rationalem, ejusque actus liberos dirigendi per modum regulæ. In tempore autem completur in ratione legis propriè dictæ, per rationis rectæ dictamen practicum, quo Deus, ut author naturæ, practicè & per modum imperii dicitur & præscribit creaturæ rationali hoc vel illud faciendum vel omittendum esse, atque ita practicè & per modum imperii intimat actus suos internos, quibus vult & practicè ac imperativè loquitur interiùs, quæ legislator naturalis, & quibus,

quibus, hoc recte rationis dictamine posito, nihil deest ad hoc ut sint completa & integra regula ac mensura actuum creaturæ rationalis, vim habens completam & integram, creaturam rationalem obligandi circa omnia circa quæ præscribit aliquid, si ve præcipiendo, si ve prohibendo: unde, hoc recte rationis dictamine posito, nihil eis deest ad hoc, ut sint lex propriè dicta, & quidem completa & integra in ratione legis.

Hanc autem legem, quam cum rationis dictamine constituunt, naturalem nominamus, maxime propter complementum ejus intrinsecum, quod est actus naturalis rationis. Unde apparet legem naturalem ab æterna in eo tantum differre quoad rem, quod ei superaddat promulgationem, quæ sit in tempore per naturalem dictamen, à quo lex naturalis habet ut sit completè & integrè lex.

2. Lex dividitur in divinam & humanam. Lex divina dicitur ea, quæ fertur immediatè auctoritate divina, si ve Deus promulget eam immediatè per se ipsum, si ve non. Subdividitur in naturalem & positivam. Lex naturalis est ea, quæ Deus statuit ea quæ sunt juris naturalis, qualia sunt omnia Decalogi præcepta, excepta determinatione Sabbati: positiva verò est ea, quæ Deus statuit ea quæ non sunt juris naturalis, qualia sunt præcepta Mosaica de caeremonialibus.

Lex humana dicitur ea, quæ fertur auctoritate humana, quæ tamen auctoritas vel immediatè vel saltem mediatè à Deo accepta est. Nam non est potestas, nisi à Deo. Subdividitur in civilem & ecclesiasticam. Ecclesiastica est ea, quæ fertur auctoritate ecclesiastica, ut Summi Pontificis, vel Conciliorum. Civilis est ea, quæ fertur auctoritate seculari, ut Imperatorum, vel Regum. Utraque subdividitur in naturalem ex parte objecti, & positivam: nam legislator ecclesiasticus & civilis possunt statuere aliqua, quæ sunt juris naturalis, & alia quæ non sunt.



DISPUTATIO II.

De Lege naturali.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit lex naturalis.

RESPONSIO I.

Lex naturalis bene describitur, rationis divinæ ordinatione ad bonum commune naturæ rationalis, à Deo ut authore illius promulgata, & creaturam rationalem obligans, quæ permanenter statuit ea omnia, quæ sunt juris naturalis, præcipiendo ea, quorum commissio naturam rationalem dedecet, atque statuendo de esse morali rerum in ordine ad certos effectus morales.

Explicatur itaque & prob. Dicitur 1. *Rationis divinæ ordinatio*, hoc est, actus intellectus divini prædicte & per modum imperii ad creaturas rationales dirigens voluntatem, quam Deus habet obligandi illas ad hoc, ut se gerant in omnibus modo naturam rationalem decet: vel, si vis, actus divini intellectus, practice & per modum imperii dictans cum efficaci voluntate obligandi quid creaturæ rationali faciendum sit aut omitendum, tanquam sibi, quæ rationalis est, conveniens aut disconveniens. Quod autem lex naturalis sit ordinatio rationis divinæ, patet ex dictis Disp. I. Art. I. Cum enim omnis lex sit ordinatio rationis, & lex naturalis sit divina, non enim est humana; legem naturalem esse rationis divinæ ordinationem necesse est.

Dicitur 2. *Ad bonum commune naturæ rationalis*: quia cum finis intrinsecus & essentialis legi omni sit bonum commune, & lex naturalis lata sit naturæ ra-

Simonnet Theol. Tom. II.

tionali, quæ tali, manifestum est legem naturalem latam esse propter bonum commune naturæ rationalis, quæ talis.

At inquit. Lex naturalis lata est immediatè propter bonum privatum individuorum. *Resp.* Esto. At dico saltem latam esse propter bonum privatum individuorum, ut redundet in bonum commune naturæ, & ita saltem latam esse mediatè & ultimatè propter bonum commune naturæ rationalis, quod sufficit. Dicitur potest Deum in ferenda lege naturali proximè & immediatè, & bonum privatum individuorum, & bonum commune naturæ spectasse.

Dicitur 3. *A Deo ut authore illius*, hoc est, naturæ rationalis, *promulgata*, hoc est, lata & instituta: leges enim instituuntur, cum promulgantur. Quod autem lex naturalis à Deo lata sit, faciliè probatur. Nam lex naturalis lata est naturæ rationali, & propter bonum commune naturæ rationalis. Ergo lata est ab eo, cujus est providere bono communi naturæ rationalis. Atqui providere bono communi naturæ rationalis, pertinet ad Deum, qui illius superior est, sicut & author ac conditor, & quæ illius author ac conditor est. Ergo, &c.

Dicitur 4. *Creaturam rationalem obligans*: quia lex naturalis lata est soli creaturæ rationali, & sola creatura rationalis capax est obligationis morales, quem effectum re ipsa causat in ea lex naturalis; quia ex efficaci intentione obligandi lata est à Deo, qui obligandi potestatem habet, ut supremus naturæ rationalis dominus ac princeps, & hanc intentionem practice & imperativè intimat per dictamina practica recte rationis.

Dicitur 5. *Qua permanentè*: quia lex naturalis creaturæ rationali in perpetuum lata est. Imò ex hypothese naturæ rationalis conditæ, non potuit non ferri à Deo lex naturalis, ut probabitur, & consequenter ex hypothese naturæ rationalis perseveraturæ, lex naturalis non potest non esse perduratura.

Dicitur 6. *Statuit ea, quæ sunt juris naturalis*: quia jus naturale proximè fundatur in lege naturali, ab eaque efficitur, nec est ab ipsa natura rationali, nisi remotè & radicaliter. Sic v. gr. tenemur ad non mentiendum; tenemur, inquam, jure naturali remotè & radicaliter, propter disconvenientiam quam mendacium habet cum natura rationali, quæ rationalis est: proximè verò & formaliter ac propriissimè, quia mendacium à Deo, ut authore & gubernatore naturæ rationalis, prohibitum est, quia naturam rationalem, quæ talem, dedecet.

Dicitur 7. *Præcipiendo ea, quorum commissio*, &c. quia jus naturale est tantum de iis, quæ ex natura sua decent, vel dedecet naturam rationalem, quæ talem, & consequenter de iis tantum, quæ ex natura sua relatè ad naturam rationalem, quæ talem, talia sunt, ut non possint non esse præcepta, aut non possint non esse prohibita. Unde fit, ut lex naturalis, ex hypothese naturæ rationalis conditæ, sit necessaria; & jus naturale, quod efficit, sit necessarium.

Porro additum est: *Atque statuendo*, &c. quia sicut inter actus creaturæ rationalis, aliqui sunt præcepti, aliqui prohibiti jure naturali, ita aliqui jure naturali irriti sunt & nulli moraliter in ordine ad certos effectus, quia eorum validitas disconveniens esset naturæ rationali, quæ rationalis est, & non potuerunt non irritari lege naturali à sapientissimo naturæ rationalis authore & rectore. Bonitas autem hujus descriptionis patet ex eo, quod sufficientissimè explicet naturam legis naturalis, eamque ab omni alio sufficientissimè distinguat.

RESPONSIO II.

Lex naturalis quoad rem & entitatem consistit, non quidem adæquatè, sed completivè, seu tanquam in complemento intrinseco & essentiali in dictaminibus recte rationis practice & imperativè dictantibus, quid sit faciendum, vel omitendum, velut consentaneum, vel dissentaneum naturæ rationali, quæ tali.